



INCIPIT PROLOGVS  
 IN VITAM SANCTI VVILHEL-  
 MI CONFESSORIS  
 atque monachi.

*Auctoris  
 quidē in-  
 certi, sed  
 Sivi Galde  
 fide digni.*



**A**D summam Dei gloriam & laudem  
 de beati VVilhelmi vita laudabili &  
 sancta conuersione atque conuerfa-  
 tione tractare, sancti Spiritus gratiam  
 qui etiam in rebus minimis implo-  
 randus est, inuocamus. Vt qui eum in contemptu  
 seculi, & in sui ipsius abnegatione præuenit, & se-  
 cutus est, ipse nos quoque in hac retractatione præ-  
 uenire dignetur ac subsequi, & efficiat idoneos tan-  
 tæ historiæ relatores. Nihil enim dignum DEO  
 dicitur sine eo, neque etiam ipse sine se inuoca-  
 tur, cuius nimirum dona sunt, si quis mereatur  
 omnipotentis opera denunciare, & ipsum in san-  
 ctis suis magnificare DEVM. Et primum quidem  
 huiusmodi DEI dilectum exemplar vobis, & spe-  
 culum proponamus, & formam in eo apostolicam,  
 & vitam in terris veneremur angelicam, atque in  
 quantum possibile est, boni æmulatores id ipsum  
 imite-

imitemur. Cum enim magnum sit & valde bonum sanctorum merita prædicare, & extollere virtutes ipsas, atq; imitando ambire, acquirere reuera optimum est, & præcellens. Vtrumq; tamen & cœlitus datur & diuinitus inspiratur, eiusq; administratio est gratis, qui gratiarum distributor dat ex eis quibus vult, & diuidit singulis prout vult. Nunc igitur quæ ad communem ædificationem pertinent, quæq; deuotis auditorum animis prodesse ad imitationem possunt, de vita & meritis tanti ducis, tamq; gloriosi principis aggrediamur, cætera quæ mundi fuerunt gesta, videlicet fortia ad terrenam dignitatem atq; secularem pertinentia, quamuis inclita ac relatu digna in memoria æterna, nos tamen silentio præterire decreuimus, gestis tantum spiritualibus expertè recitandis calamum applicantes. Quæ enim \*regimina, quæ prouinciæ, quæ gens, quæ vrbes

\* *al. regna*

VVilhelmi potentiam non loquuntur? Virtutes animi, corporis vires, gloriosa belli studia, & frequentiam triumphorum? Qui chori iuuenum, qui conuentus populorum, ac præcipuè militum ac nobilium virorum, quæ vigiliæ sanctorum dulce non resonant, & modulatis vocibus decantant, qualis & quantus fuerit, quam gloriose sub Carolo glorioso militauit, quàm fortiter, quamque victoriosè barbaros domuit & expugnauit,

quanta ab eis pertulit, & quanta intulit, ac demum de cunctis regni Francorum finibus crebrò victos & refugos perturbavit & expulit. Hæc enim omnia, & adhuc multiplex vita atque historia cum vbique penè terrarum notissima habeantur, nec modo ad hanc descriptionem pertinere necessaria videantur, iam nunc ad ea quæ religio boni viri & sanctitas expostulat, manus laborare incipiat, & calamus de ortu eius, & generis nobilitate quod de sanctis magnisque viris plerumque requiritur prænotabo.

*Explicit Prologus.*



SEQVI.